



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 14. Irrisor retorto collo præposterè videns punitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

nus traderetur? idque non inuisum, vt fuerat Ioannis Baptistæ, sed longè charissimum? Nonne & ipsa facinoris sui recordata agnouit diuinæ vindictæ æquitatem, viditque, *qua mensura mensa fuerat, eadem sibi remetiri?* Sed nihil vident impietate excæcati, percutiuntur, & non corriguntur. At quamuis pereant, geminum tamen ex illorum exitio bonum existit: siquidem ostendit eorū interitus, esse Deum iustum & metuendum, neque tamen sine clementia & bonitate. Nam eiusmodi pereuntium supplicia, aliorum sunt exempla.

Matth. 7<sup>o</sup>  
2.

§. XIV.

*Irrisor retorto collo præposterè videns punitus.*

Quale etiam fuit illud curuicercicum pecus, Iani infelix imago, homo verè præposterus, de quo in vita S. Ludouici Francorum regis legimus, eum in mirabile monstrum esse demutatum. Inter ceteras D. Ludouici Galliarum regis virtutes emi-  
nuit mirabilis quædam moderatio, & victoria mundanæ vanitatis. Non ille fulgere in auro, non in purpura atque ostro nitere amabat, sed vestitu communi ac simplici regiam tegebat dignitatem. Itaque  
S 3 ornatus,

Sur. tom.  
4. in vita  
S. Ludouici.



ornatus, quem ille à vestitu non petebat, à miraculis illi accessit. Accidit aliquando, vt Comes Geldriæ Parisios nuncium cum litteris mitteret, illico rediturum. Ex eo reuerso sciscitatur Comes: *Num regem Francia Ludonicum vidisset?* Tum ille, vel vt per iocum domino placeret, vel vt per sannam regem contemneret, improba imitatione collum contorquens & in humerum reijciens, *Vidi, inquit, vidi illum miserum papillardum regem grisea veste indutum ad scapulas caputium gerentem.* Dixit, & quod dixit, miserando modo expressit. Finierat enim vix ea verba, cùm ecce, facies eius in collo rotata ac retrorsum acta, ita retorta permanfit, vt in contrarium intueretur, & iam, quod animâ verè erat, etiam corpore homo peruersus esse videretur. Cui hæc, tam monstrosè non videntis quò ambularet, deformitas est ascribenda? merenti, an punienti? Videre nequeo, quomodo in Deum culpa possit

*Eccles. 7. 30.* transferri. *Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se ab eo*

*Gen. 19. 26.* auertens respexerit retro, cum vxore Lot; iniuriosus, non curiosus, contra illud ca-

*Luc. 9. 62.* lestis Magistri; *Nemo mittens manũ suam*

ad



ad aratrum, & respiciens retro, aptus est re-  
gno Dei. Itaque iure irrisor iste diuinæ iu-  
stitiæ est immolatus, sicut olim aues, re-  
uerto ad collum capite. Leuit. 1,  
15.

§ XV.

Ex illegitimo matrimonio regis proles anserino  
collo nata.

Defensa est in hoc monstro regis Gallia-  
rum virtus & sanctitas; punita alterius im-  
pietas in eo quod sequitur, non tantum  
capitis, sed etiam colli monstrosi, prodi-  
gio, cuius in historia Aquitanicæ frag-  
mentis ex Pithæi collectione editis fit men-  
tio. Sed fatius est dare verba Petri Damia-  
ni Archiepiscopi Rauennatis & Cardina-  
lis, qui ita scribit: *Deus omnipotens terribile  
exhibet etiam in hac vita iudicium, nec tamen  
miseri homines desinunt iterare peccandum.*  
*Nam Robertus Gallorum rex, auus istius  
Philippi, qui in paterni iuris sceptrum suc-  
cessit, propinquam sibi copulauit uxorem, ex  
qua suscepit filium, anserinum per omnia col-  
lum & caput habentem. Quos etiam virum  
& uxorem omnes ferè Galliarum Episcopi  
communi simul excommunicauère sententia.  
Cuius sacerdotalis edicti tantus omnem ubique  
populū terror inuasit, ut ab eius societate uni-  
uersi*

Petr. Da-  
mian. ep.  
ad Desi-  
derium  
Abbat.  
Cassin.  
Baron. t 3  
An. 998.